

Articulus Tredecimus.

Et quia pauci stipendiarii inveniuntur, plurimaque pars salario caret, Generalis Noster illis omnibus utriusque conditionis prout hactenus moris fuit plumbum pro conficiendis globis et pulverem tormentarium ad sufficientiam suppeditabit.

Quapropter omnibus et Singulis Nostriis Ministris et Officialibus aliisque subditis et fidelibus cuiuscunque status, gradus, conditionis, vel praeceminentiae existant, praesertim vero Regimini Nostro bellico, nec non praesentibus et futuris Regni Nostri Slavoniae ... necnon supremis Capitaneis, caeterisque omnibus militaribus Officialibus nostris, hisce benigne ac serio committimus atque mandamus, ut praefatam Valachorum Communitatem, inter Savum et Dravum Commorantem, Secundum Clementem Nostram et Successorum Nostrorum, legitimorum Hungariae Regum, voluntatem, praescriptis legum et statutorum Articulis quiete et absque omni molestia, impedimento et perturbatione, uti, frui et gaudere sinant, illosque in eisdem manuteneant atque defendant, et nil contra eorum tenorem et continentiam attentent, aut faciant, aut ab aliis quovis modo attentari et fieri permittant. Quatenus nostram successorumque nostrorum indignationem ac poenam gravissimam evitare voluerint. Harum Testimonio Litterarum, Manu Nostra propria subscriptarum et Sigilli Nostri Appensione munitarum. Datum in Nostra et Sacri Imperii Civitate Rabishonae die 5. Octobris 1630.

Ex antiquo transsumpto in Archivo Regni Croatiae, inter Acta Collegii Societatis Jesu Zagrab. asservato. Fasc. VI, Nr. 81.

CCVI.

Anno 1646. Posonii.

Privilegia Nobilium arcis Kalnik

Nos Ferdinandus Tertius, DEI Gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae, Ramae, Serviae, Gallitiae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marchio Moraviae, Dux Luxemburgae ac superioris et inferioris Silesiae, Wierthembergae & Thecae, Princeps Sveviae, Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferreti, Cyburgi, Goritiae, Landgravius Alsatae, Marchio Sacri Romani Imperii supra Anasum, Burgoviae ac superioris et inferioris Lusatae, Dominus Marchiae Slavonicae, Portus Naonis et Salinarum &c. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit vniuersis. Quod pro parte et in personis